



CAPUT II.

De conflictu corporum elasticorum.

§. I.

Si cuncta corpora aut omnino dura forent, aut perfecte mollia, leges praecedente capite stabilitae omnibus corporibus congruerent, quoties illa directe colliderentur; unde etiam post collisionem aut quiescerent, aut ita moverentur per modum unius massae, ut alterum ab altero deinceps non discederet, nisi forte causa extranea eorundem separationem efficeret. Cum vero quamplurima extent corpora, quae ad perfecte elastica accedant proxime; necesse est ex horum collisione, alios omnino ab illis, de quibus capite praecedente actum est, motus progigni; quapropter & aliae pro elasticis leges determinandae sunt. Conabor id praestare per theoremata quaedam capitis praesentis, in quo (cum leges universales esse oporteat) de corporibus perfecte elasticis duntaxat mihi sermo est.

§. II.

DEFINITIO. Duplex in elasticis vis distinguui solet, altera qua compressio peragitur, quam vim *comprimentem* vocant, altera

vis comprimens & elastica.